DE OOPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO,

QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. MARTII.

M. EVSEBIO RENAVDOT Doctore Medico Moderatore.

Est-ne Melancholicis accommodata Paruæ Pilæ Exercitatio?

NASCENTES siccescimus, senescimus, morimur: perenni substantiæ nostræ fluore, dissipamur sensim, etiam præproperè absumendi ni spiritus, cibi, potionisve subsidijs, impari fulcro, caduca vitæ fundamenta sustinerentur aliquandiu. Ecce verò dum alimentis reficimur, inficimur excrementis, quæ horum viles reliquiæ cum nec adnascuntur nec accrescunt, sed per laxiora quædam spatia diffusæ errant inutiles, labem semper aliquam partibus sunt aspersuræ, ni solerti naturæ industriâ secretæ extruderentur confestim. Hæc vna ipsam ex hoc naufragio afflictam tabula solatur et delectat, longa equidem & ardua, secura tamen & directa ἡ τῆς ἀθανασίας ὁδὸς, dum ejus operâ, vacuum prorsus & immune corpus fit ab excrementis, perniciem alioquin allaturis. Eo sanè consilio eadem nostri opifex & conseruatrix natura singulis corporis instrumentis peculiares indidit facultates, quarum ope quædam proliciunt, nonnulla convehunt, alia demum vberiore copiâ aut solo nidulatu superflua amandant forâs. De fuliginosis sollicita magis, non vnum aut alterum patens ostium, quemadmodum cæteris primæ & alterius coctionis recrementis largita est, sed innumeris cæcisque cutis foraminibus eorumdem compensauit angustiam, quibus transmissa assiduè nullâque interpositâ morâ demigrarent. Atque ne vitium caperent diutiùs cespitando, membra omnia vario & multiplici instruxit motu; hominesque ad Exercitia propensos efformauit, quò supervacaneæ fuligines, aliàs plus cæteris nocituræ liberiùs perspirarent. Vt enim mentes nostræ ad concentus modos & modulationis numeros fictæ existimantur, sic corpora ad exercitiorum motuumque concinnitudinem ita sunt accommodata, vt in arte etiam Gymnasticâ infantem ipsum quædam velut tyrocinia posuisse credas. Is siquidem, quanquam vteri latebris conclusus, modò leniori & tremulo motu, mollique quassu sese concutiens, modò pugnis, calcibus, totoque corpore ἀσκαρίζων atque Pancratiasten agens, Exercitationis cujusdam adimplet rudimenta: quæ mox in lucem editus factúsve paulò prouectior, quo tempore euolare magis crederes quàm currere, luculentiora promit & exerit manifestiora.

RVDIORIS naturæ documenta, pars Medicinæ Salubris præcipua & antiquissima Gymnastice ita moderatur & inflectit, vt ab illius præceptis sapienter licet inchoata vltimam sui perfectionem mutuentur: quorum consilium illud vnum est vt sanitatis tuendæ, vel boni habitus adipiscendi gratiâ, exercitandi corpora quælibet instituatur ratio. Nec tamen ea planè exerceri putandum est quæ mouentur, sed duntaxat si eo cieantur motu qui vehemens cum sit voluntatis arbitrio ad valetudinem procurandam susceptus nonnihil anhelitum mutet; siue ex se, suâ sponte; siue externo impulsu ipsa rapiantur. Dum corpus non nisi à se ipso concitatum exercetur, vel totum, vel pars tantùm eius aliqua laborat. Qui erectus stat, incedit, ambulat, salit, currit, volutatur, luctatur, in suspenso fune insistens Schœnobatem agit, Grallis graditur, Pilâ, Folle, Pilâ malleo, Trocho ludit; Pitylismate, Coryco, Eclethrismo exercitatur; Discum, Halteres, Iaculum, Sagittam, Saxum, manu, fundâve torquendo vibrat, non aliquas corporis partes sed totum ipsum concitat & quatit. At partis tantum alicujus motum efficiunt, Spiritus cohibitio, ejusdemque conferta emissio, priori multo salubrior & facilior in Sermone, Lectione, Cantu, Vociferatione, Risu, Ploratu, quæ maximè thoracis labore & concitatione perficiuntur; manibus micare, extremisque digitis colluctari in Χειρονομίᾳ & Ἀκροχειρίᾳ, eorumque compressus in fidicularum, vel organorum pulsu, ceræ lutive attrectatu Chiragræ auerrunco. At aliundè accedunt ij omnes exercitandi modi quos præstant Ἀνακινήματα, Παρασείσματα, καὶ Ἀνακουφίσματα, quibus Vectio curulis, Equitatio, Venatio, Nauigatio, Cricilasia, Petaurus, Gestatio in lecticâ vel sellâ, Agitatio in vlnis, cunis, scimpodio, plumâve pensili, cæterique exercitandi corpora modi, seu καθ' ἕξιν seu καθ' ἕλξιν fiant, continentur. Horum omnium is optimus haberi debet qui non solum partes aliquas corporis sed totum ipsum concutit; Omnes verò dignitate longè superat, qui corpus mouendo, animum non mediocriter afficit & oblectat. Sunt enim ipsius quoque suæ agitationes in exercitationibus ingenij, varijsque affectibus & cogitationibus, quæ mentis quædam sunt ambulacra & curricula, à quibus non minimùm afficitur corpus, sicut à corporis motionibus ipsa anima: Vna vt sit certa salutis ratio, si nec anima sine corpore nec corpus sine animâ exerceatur, vt in mutuâ contentione exæquatis inuicem viribus insurgentia, bonam totius valetudinem tueantur.

PILA omnes ludimus, ludimur. Hæc vna Sphæristicæ veterum exercitationis, quam saltando ad numeros peragebant, pars præcipua ad nos transmissa, Paganicâ, Trigonali, Folle, Harpasto, Phennide, Coryco, Aporraxi, Vraniâ expeditior & salubrior, manuum, brachiorum, crurum firmitudinem efficit, varijs vertebrarum circumactibus, crebro lumborum subsultu ceruicisque flexibus humores ijs affixos partibus exscindit, intendit aciem oculorum, auditum exacuit, partes cæteras venustè & æquabiliter mouet, vehementiùs aut remissiùs, velociùs aut tardiùs pro cujusque libito; quodque in alijs penè omnibus desideres, sine discrimine, quâvis datâ occasione & absque vllo penè apparatu: atque adeo cuilibet hominum sorti & fortunæ conueniens, corpus vniuersum firmat & roborat, animum insuper innocenti voluptatis oblectamento & gloriæ laudisque cupiditate, quâ mentes nostræ maximè incenduntur, sic recreat, vt omnem corporis lassitudinem obliteret hæc delectatio mentis. Quæ nostro æuo solemnis est Exercitatio Pilæ duplici initur modo; Vel enim sub dio in liberiori & ampliori palæstrâ cum pilâ & oblongâ clavulâ, aut batillo pilari perficitur, summamque neruorum postulat & virium contentionem: vel in Sphæristerio quod angustius & arctius est, cum reticulo, ipsâque etiam clavulâ, sed ob breuiorem capulum ad ludendum expeditiore, minori labore instituitur. Pilæ quibus in Sphærico hoc stadio luditur, laneæ atque etiam scorteæ, exiguæ, rotundæ, candidæ, quatuor vtrinque parietum nigro colore pullatorum aspectabiles magis, à colludentibus excipiuntur & remittuntur alternatim; vt in hoc lusu multùm sit pilam scitè ac diligenter excipere, eandemque aptè & expeditè remittere quam exceperis. at palmam is auferat qui his eruditus armis, doctúsque apprimè φυλάττομαι κατὰ νόμον, ἀδικέειν δικαίως, ἐξαπατέειν, ἁρπάζειν, βιάζεσθαι τὰ κάλλιστα καὶ ἄριστα astutè & concinnè pilam ita verberat: vt ab aduersario, vel nullomodo, vel ineptè, nec ad primum eius resultum remissa attingatur, vel in retia quæ sursùm vniuerso stadio prætenta sunt, vel deorsum subter funiculum qui transuersus in ludo pendet, mittatur: hic siquidem villis oblongis humique vergentibus ictus casusque pilæ ambiguos dirimit. Egregius ille Sphæricus lusor qui perculsum funem molliter crispando colludentis brachia fefellit; venustior qui in amplum & fenestratum foramen summo nisu, auersâ vt plurimum manu impulsum pilarem globum torquendo, aut per arctiora duo foramina quibus transuersus quisque paries pertusus est, callido & eleganti artificio frustrà sequentis oculos, manum atque industriam omnem elusit. Qui pluribus hisce lusionibus vicit, totius certaminis refert præmium. Illustrius reddit Agonothetarum qui frequentes adsunt plausus & qui ex quatuor vtrinque columnis suffulta Xysto ludentium paria inspicientes, inde summo velutè tribunali de dubijs pilæ jactibus à ludi Notario consulti, quod ipsi statuunt ratum omninò habetur. Exercitatos tandem excipit atque demulcet frictio ἀποθεραπευτικὴ quæ sudorem obortum exhauriendo, reliquiásve humorum intùs abstrusorum in summam cutem proliciendo & dissipando, corporis salubritati atque integritati miro beneficio conducit.

NEMO est qui ex paruæ Pilæ vsu fructum aliquem possit percipere, nisi ipsius vt & cæterarum exercitationum vires habuerit perspectas, atque adeo explorata ei sit harum exquisita proportio & mensura, quæ ciborum quos vnusquisque ingerit copiæ & cujusque hominis naturæ ac temperamento ita congruat, vt in ijs obeundis nihil vel desideretur vel superet. Mistionis elementorum soboles genuina Temperamentum est, pro diuersâ simplicium corporum & quæ his insunt, qualitatum principum concursione varium & multiplex: seu exactâ æquabilitate, ponderéve æquali ipsa constet: seu ea duntaxat commensuratione quæ ex æquo & jure cuique competit: cujus quidem operâ fit vt ab humorum ex quibus conflatur corpus nostrum dominatu & elementorum quibuscum consentiunt exuberantiâ, Sanguinei, Biliosi, Pituitosi, Melancholici nuncupemur. Quibus sanguis viget, aëris purioris quo perfunduntur vbertate, calidi humidi, εὔσαρκοι mites, vrbani, hilares, simplices sed longævi. Biliosi ignem spirantes, calidi sicci, graciles, iracundi, audaces, pacis bellique munijs obeundis idonei, ingeniosi, sed æui breuioris. Pituitosi aquæ alluuione velut vliginosi, frigidi humidi, obesi, hebetes, segnes, somnolenti, animam quam nacti videntur pro sale ad corporis conditurам non inuiti dimittunt. Melancholici demùm terreæ molis pondere depressi, frigidi sicci, mœsti, meticulosi, queruli, sibi alijsque molesti, importuni & ceruicosi nuginatores, volunt non volunt, at quod volunt multùm volunt, laruati & fucati sapientes, cum reapse his nil sit ad sapientiæ & præclararum artium studia capessenda ineptius; Quodque longè calamitosius, mentis abjectæ sortem miseram acerbiorem efficit corporis constitutio quam ab imbecillis ortus sui principijs traxêre, vitiosa & languida; hoc vno toleranda quod præmaturâ nimium senectute & celeri fato correpti malè feriati isti homines, grauibus quibus premuntur ærumnis, naturæ quodam munere citius exoluantur. Interim magnam vitæ eorum partem occupant, vertigo, epilepsia, melancholia, febres quartanæ, erraticæ, cachexia, hyderus, psora, vitiligines, lepræ, elephas, scorbutus, scirrhus, carcinos, atque ejusmodi ægritudinum portenta, nisi accurato rerum non Naturalium vsu anteuertantur; aëris putà defæcatioris suauitate & puritate caliginosi spiritus illustrentur, cibis euchymis, crassorum & lutulentorum humorum prouentus inhibeatur, lætis jucundisque spectaculis animus eorum ad hilaritatem inducatur; Motus demùm & exercitationis jucundæ moderato vsu mentes recreentur, corpora firmentur, calor & spiritus veterno quodam torpescentes ad corporis mentisque munia obeunda alacriores & vegetiores euadant.

QVISQVIS cibum capit, debet si modò velit salubriter degere Exercitationi quoque seriò nec oscitanter vacare, cum hujus non minùs quàm nutricatus, etsi vires vtriusque prorsùs sint dissimiles, æqua sit necessitas, omni ætati, sexui, temperamento, quâvis regione & tempestate anni, non tantùm sanis sed ijs qui à morbo resurgunt, vel in eum mox sunt prolapsuri apprimè conueniens. An non & ægris sua est peculiaris exercitatio? Quanquam verò ad omnes fermè pertineat, Melancholicorum tamen maximè interest eâ commodè vti, atque præsertim paruæ Pilæ Gymnasticâ. Hi siquidem plusquam par est famelici & comedones, supra modum appetunt, minùs tamen bellè coquunt, digerunt, nutriuntur, Hincque flatus excitantur quamplurimi à quibus euadunt φυσώδεις, lienosi, libidinosi, supervacaneáque multa congerunt, limosa, crassa, aquosa, serosa, quibus fiunt ij σιαλόχοοι atque importuni sputatores. Horum damnosior longè prouentus quod ob corporis frigiditatem & squalorem, meatuum penitiorum cutisque maximè adstrictionem vix possunt forâs erumpere, sed intrò cohibita partes singulas ad quas allabuntur coinquinant, spiritus animales tetro suo afflatu conspurcant ac velut quodam fascino obtundendo, ignavos, & torpidos reddunt, mentis ipsius domicilia penetrant & inficiunt, tenebrásque eidem inferendo, metu, pauore, ac tristitiâ omnia complent: Compendio dicam, seu corpus seu mentem æstimes, οὐδὲν ὑγιές. Vis ad saniorem frugem Melancholicos revocari? Excutiendi sunt, imò recoquendi Sphæricâ exercitatione, quæ vtrique ita consulat, vt labes cuique aspersas opportunè & convenienter adhibita eluat & abstergat. Sicut enim dum ventilabro paleæ cæteræque inanes spicæ & quisquiliæ excutiuntur, frumentum sincerum, frugésue solæ puræ & integræ congestæ remanent; simili prorsus modo pilari hac Gymnasticâ, quæ æquabiliter corporis partes omnes alternis exercet, superflua omnia summoventur, nitidior cultiorque fit omnis humorum & spirituum. qui sinceri supersunt, supellex, corpori robur & firmitudo, mentique summa accedit alacritas. Calorem quippe intimis partibus quasi sopitum & torpescentem excitat atque in omne corpus æqualiter trajicit, vnde ciborum concoctio, distributio, nutritio felicior, supervacuorum exitus facilior. Flatus siquidem discutit, quorum impulsu Melancholici ad Venerem plus satis proclives hujusce palæstræ sunt amantissimi: tenues humores in halitum digerit, serosos oborto sudore vel vrinæ profluuio dissipat, frigidos & crassos calefaciendo & attenuando liquat, vt absque vllo impedimento per cutis aliarumque partium ductus laxiores redditos, facilè euaporent. His deonustum corpus firmius vegetiúsque euadit, gestionibus suis perficiendis magis opportunum, atque forîs infestantibus causis minùs expositum, nulla vt expeditior tutiorve Melancholicos à varijs quibus infestantur incommodis vindicandi ratio excogitari possit ludicrâ hac sed honestâ Sphæromachiâ. Ipsa si quidem Inediâ, Balneo, Sanguinis detractione, Purgatione potior, morborum penè omnium segetem in ijs circumcidit, si ἐκ περιστασῆς, concocto jam cibo, aluique & vesicæ recrementis subductis eam aggrediantur, si moderatè in eâ se gerant, finemque exercendi faciant vbi corpus fessum sudore leni oborto madere incipit. Tunc si quidem durâ sed mediocri frictione recurandi, cibisque congruis recreati quieti vel somno committendi, qui eosdem exercitos arctior & mollior complectitur, cum aliâs citra ejusmodi laborem vel nullus, vel turbulentus, eis soleat obrepere. Somno placidiore spiritus animales repatati illustrioresque redditi mentem exhilarant, quæ insuper excussis frigidis & cœnosis ijs humoribus, quorum interpositu interjectúque obscurata & obnubilata mœrebat & timebat assiduè, nouam velut induens naturam ab hâc tristitiâ & acerbitate ad jucunditatem & alacritatem compellitur. Denique ita toti immutantur Melancholici vbi Sphærici euasere Gymnastæ, vt ex ignauis & languidis fortes & audaces, ex horridis & squalidis benè habiti & compositi, ex agrestibus & vastis elegantes & concinni, ex morosis & immansuetis faciles & tractabiles, ex mœstis jucundi, toti denique alij à se redditi, fiant ἀγαθοὶ τὰς ψυχὰς, καὶ ἰσχυροὶ τὰ σώματα.

Est itaque Melancholicis accommodata Paruæ Pilæ Exercitatio.

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS RVFFIN Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LIX.